In nomine domini amen. Noverint quibus expedit universi Quod nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie necnon terrarum Cracovie
Sandomirie Siradie Lancicie Cuyavie Pomeranieque Russieque dominus et heres Volentes augere utilitates regni nostri per locacionem villarum
nostrarum in districtu Sandomiriensi Eidem viro discreto Phalislao de Rzeszow dedimus potestatem locandi villam novam iure Theutunico
Maydburgensi in terra Sandomiriensi ex utraque parte fluvii Brzozowa vel Nunpata octuaginta mansos Franconicos continentem cum finibus
vel Szedlarum et cum sumitatibus aquarum fluviorum rivulorum ac decursibus earundem quocunque vocabulo nuncupentur Zmiszow
sicut sunt ad eundem fluvium Brzozowa ex utraque parte dicti fluvii In quaquidem villa eidem Phalislao et suis legittimis successoribus
Sculteciam pro decem marcis grossorum Pragensium vendidimus temporibus perpetuis possidendam Redditus autem infrascriptos ad dictam
Sculteciam assignamus videlicet tres mansos liberos Tabernam Molendinum tres ortos Thabernas omnium rerum Item piscinas quotquot
ibidem construere poterit Item tercium denarium de Iudicio et sextum denarium de censu Necnon prata et mellificia que habere
poterit intra mansos proprios Que omnia suprascripta predicto Phalislao et suis successoribus libera et sine solucione vone Sculteciae predicte
deputamus cum potestate vendendi commutandi et quolibet alienandi Nostro tamen de consensu Item pro ecclesia ibi fundanda duos mansos pro
pellendo vero grege quod Slotnyicza dicitur unum mansum deputamus Insuper absolvimus Sculteum kmethones et omnes incolas eiusdem
ville ab omnibus Iudiciis et potestatibus omnium palatinorum Castellanorum Iudicum et subiudicum universorum Regni nostri et officialium
eorum Ita quod coram ipsis vel eorum aliquo pro causis tam magnis quam parvis puta furti sanguinis homicidii et aliis
quibuscunque citati minime respondebunt Sed ipsi kmethones coram suo Sculteto Scultetus vero coram nobis aut nostro pretore dum
tamen per literam nostram nostro sigillo sigillatam evocatus fuerit Tunc de se querulantibus non aliter nisi suo iure Theutunico Medburgensi
respondere sint astricti In causis autem criminalibus et capitalibus supradictis Sculteto Iudicandi sentenciandi puniendi et condempnandi
plenam et omnimodam concedimus potestatem prout Ius predictum Maydburgense postulat et requirit Preterea volumus ut kmethones
expirata libertate viginti annorum nobis et nostris successoribus de quolibet manso singulis annis In festo sancti Martini
pro censu decem scotos pro decima vero duos scotos tamen de iure debentur ac alia iura iuxta formam iuris predicti solvere
teneantur Scultetus vero ad quamlibet expedicionem cum una balista servire sit astrictus In quorum omnium et singulorum
testimonium Sigillum nostrum presentibus est appensum Actum et datum In Oppathowicze In octava beate Agnetis virginis
et martiris gloriose Anno domini Millesimo trecentesimo sexagesimo sexto Presentibus Petro Woynicensi Zawistha Sandecensi Pelka
Zawichostensi Stanislao Malogostensi Castellanis Raphaele Succamerario Iustone Subdapifero Sandomirie et aliis fidedignis

Kazimirs A° 1366
List Krolewski na
osadzenie wsi [illegible]
[illegible]

List Kazimirzow Kro[illegible]
Kowielkawitz